

P R O O E M I U M  
A D L E C T O R E M.

**N**on pauci occidere Soles, LECTOR BENEVOLE, unde pri-  
mum Artis Pharmaceuticæ solidajecerim fundamenta, ejusdem-  
que integros sedecim annos continuus sedulusque sectator extite-  
rim, indeque semper ad altiora adspirans Chymiam pro virili ex-  
colere cœperim, & hac pariter instructus tandem Apollineæ mili-  
tiæ sacramentum dixerim, Artique Medicæ, cui Pharmaceutica  
nimirūm & Spagyrica famulantur, totum me dederim. Hinc porrò in hanc pro-  
rupi sententiam, cum viderem, quām male Authores plurimi in scriptis suis, quæ  
de Compositionibus & Præparationibus medicamentorum publico donarunt,  
hallucinati fuerint, me opera & pretium facturum, si meæ in predictis industria & bo-  
ni publici causâ tenue aliquod ederem specimen, atque hunc in finem Dispensa-  
toria, alioquin innumeris scatentia mendis, sub incudem revocarem. Cum verò  
omnia ac singula Dispensatoria (quæ tamen uno ferè eodemque tenore conscripta,  
iisdemque & aequalibus erroribus defædata sunt,) sigillatim ad examen trahere ni-  
mis arduum foret onus, imò etiam supervacaneum, proinde Augustanorum illud,  
ceu inter cetera approbatissimum, & ubivis in Germania à Medicis & Pharma-  
copœis receptum; quodque cuncta alia complectitur, adeò, ut, eodem à mendis  
liberato, reliqua omnia repurgata censem, in manus sumere, eidemque strenuam  
meam locare operam consultum & proficuum duxi; in quo eâ quā fieri potuit bre-  
vitate errores præcipuos (omnes enim exaggerare & prolixè exponere qui vellet,  
Augiæ stabulum expurgare anniteretur) enucleavi, & prout potui emendavi,  
quaque in ipso omnino inordinate & confusè à Medicis prescriptæ fuere composi-  
tiones, servatis ferè semper ipsarum ingredientibus, in ordinem redegi, nec non  
veram & dextram illarum præparationem, quantum quidem in numerosa illa in-  
redientium toties tam manifestè inter se repugnantium congerie licuit, adjunxi.  
Ex qua mea qualicunque operajam palam fiet, quantopere necessarium sit illi, qui  
de Compositionibus & Præparationibus medicamentorum utile aliquid scri-  
ptis commendare satagit, ut Artis Pharmaceuticæ, pariterque Scientiæ Spagy-  
ricæ fundamentis & præceptis non leviter tinctus ac imbutus sit, secus enim in  
rebus jaticis & operationibus vel levissimis hæredit, ac in absurdissimos se præci-  
pitabit errores. Existimo autem, atque abundè mihi polliceor, quod, si quisquam  
has meas Animadversiones super prænominatum Augustanorum Dispensato-  
rium studiosè attenteque perlegerit, ac sine præconcepta opinione mentere revolve-  
rit,